DE

NICOLAO PAPA I

LEGISLATORE ECCLESIASTICO

DISSERTATIO HISTORICO-CANONICA

QUA

AD AUDIENDAM ORATIONEM

QUAM

PRO LOCO ACADEMICO

IN

LYCEO HOSIANO

RITE CAPESSENDO

D. XXIX JULII A. MDCCCLVI

H. L. Q. C.

HABITURUS EST

OBSERVANTISSIME INVITAT

ANDREAS THIEL

SS. THEOL. LIC. ET PROF. PUBL. EXTRAORD. DES.

BRUNSBERGAE

TYPIS HEYNEANIS.

De Nicolao Papa I legislatore ecclesiastico.

Inter Pontifices, qui a Gregorii I usque ad Gregorii VII tempus sedem Romanam ornaverunt, facile major non exstitit Nicolao I. Cujus eximii viri eximias virtutes mirati jam coaevi summas laudes praedicarunt. „Sedem apostolicam, ait Anastasius (vitae Pontific. n. 612. ed. Migne t. CXXVIII), victoriosissime et ut verus Dei athleta catholice ac principaliter rexit," et successor Adrianus II eum illi Josue v. t. comparat, „quem deus ecclesiam suam miseratus ad excludendum mundi tumidissimos strepitus elegerit" (Anastasius l. c. n. 620).[1] Quod idem longe postea succedentes generationes grata memoria recolebant. „Post b. Gregorium usque in praesens, de illo Regino in chronico ad a. 868 refert (Pertz monum. hist. Germ. I. 579), nullus praesul in Romana urbe pontificali honore sublimatus illi videtur aequiparandus. Regibus ac tyrannis imperavit eisque ac si dominus orbis terrarum autoritate praefuit; episcopis et sacerdotibus religiosis mandata dei observantibus humilis blandus pius mansuetus apparuit; irreligiosis et a recto tramite exorbitantibus terribilis atque austeritate plenus exstitit, ut merito credatur alter Helias Deo suscitante nostris temporibus resurrexisse." Similiter annalista Heremensis ad a. 867 (Pertz l. c. V. 140) illum „papam sanctissimum nulli modernorum aequiparandum" vocat.

[1]) Idem autor coaevus Anastasius hanc omnino illius imaginem refert (l. c. n. 580): „Nicolaus erat aspectu pulcher, forma decorus, doctus in verbo, loquela humilis, actu praeclarus, jejuniisque et divino cultui intentus, pauperibus largus, orphanorum protector et viduis fautor populique cuncti defensor."

Quare operae pretium est, in illius gesta diligentius studium intendere. Praeter multa autem praeclare acta idem etiam non pauca decreta edidit, quibus jus ecclesiasticum illius temporis utilissime adjuvit et promovit. De quibus hoc loco disserturus, et memoriae illius s. Pontificis et historiae ecclesiae praeprimis juris canonici haud ingratum me allaturum esse spero.

Sed fortasse quis mihi statim contradixerit, quod Pontifici illi ullum jus legum ferendarum fuisse et ideo decreta ejus jam leges dicenda esse negaverit. Quare primum de illius vera autoritate, ut ita dicam, legifera breviter agendum est.

I.
Num revera Nicolaus autoritatem habuerit leges universales ecclesiasticas ferendi.

Si hoc loco autoritatem, ut ita dicam, legiferam Nicolai tueri volo, minime mihi in animo est, longa argumenta pro jure illo Pontificum Romanorum texere. Hoc solum ostendam, id illo tempore jam universaliter ita agnitum fuisse et valuisse, ut Nicolaus non minus ex sua animi sententia quam ex omnium consensu universalis legislator ecclesiasticus exsisteret. Ita quidem satis efficietur, et decreta ejus leges ecclesiasticas et ipsum legislatorem ecclesiasticum justo jure dici posse.

Primum igitur Nicolaus ipse absque ulla animi haesitatione pro certissimo habuit, sibi ut vicario Petri et Christi divinitus summam et universalem omnium ecclesiarum curam et jurisdictionum commissam esse. Perlegenti litteras ejus in quacunque fere pagina occurrent documenta. Ut ex permultis pauca afferam, ad universos episcopos Galliae ille ita scribit (ed. Migne ep. 75 col. 907) [1]: „Christus privilegia constituta

---

[1]) Epistolae Nicolai editae reperiuntur apud Hardouin coll. conc. t. V. et Mansi coll. conc. t. XV, XVI, praeterea singulae earum apud singulos monumentorum ineditorum collectores (ex. gr. Baluzium, Schannat, Hontheim et al.) Quas omnes collegit et ordine historico dispositas edidit Migne „Patrologiae curs. cplt.“ t. CXIX col. 753—1182. Hac igitur editione utens pro significatione ponam M. adjecto numero epistolae et columnae.

in Petro disposita vel firmata Romanae contulit ecclesiae, super quam nihil synodus quaelibet ausa est merito constituere, quum sciat, omnia illi Dei sermone concessa. Dispensationem quippe redemptionis humani generis . . . Dominus omnipotens ascensurus ad coelos in apostoli Petri, per quem et apostolatus et episcopatus sumpsit exordium, confessione curaque praecipue collocavit; qui tunc per se et deinceps per sollicitudinis suae haeredes circa humanum genus, quae sibi Dominus commendavit, non destitit exhibere.“ Similiter ad Photium scribit (M. ep. 12 c. 786): „constat, Romanam ecclesiam per b. Petrum principem apostolorum, qui Dominico ore primatum ecclesiarum suscipere promeruit, omnium ecclesiarum caput esse, et ab ea rectitudinem atque ordinem in cunctis utilitatibus et ecclesiasticis institutionibus . . . exquirere ac sectari. Et ideo consequens est, ut quod ab hujus sedis rectoribus plena autoritate sancitur, nullius consuetudinis praepediente occasione, proprias tantum sequendo voluntates, removeatur sed firmius atque inconcusse teneatur.“ „Convenit apostolico moderamini, incipit privilegium Corbejense a. 863 (M. col. 815), quod b. Petrus apostolorum eximius per attributam et revelatam sibi divinitus gratiam . . . nobis singulari praerogativa, ut in totius christianae religionis universitate principaliter excelleremus, contulit: quatenus, sicut dignitate et auctoritate per ipsius singulare privilegium omnibus praeeminemus, ita universarum Dei ecclesiarum sollicitudinem habeamus et singulis quibusque fidelibus opportuna suffragia conferamus.“ „Sollicitudinis, nobiles Aquitanos increpat (M. ep. 111 c. 1114), quam pro universis ecclesiis Dominicis sustinemus, necessitas nos compellit, de omnium fidelium statu impigram gerere providentiam.“ „Unde, ut alio loco ait (ep. 86 ad Mich. imp. M. c. 959), sicut non leve discrimen incumbit Pontificibus, siluisse pro divinitatis cultu et ecclesiae correctione quod congruit, ita his, quod absit, non mediocre periculum est, qui quum debeant parere despiciant.“ Quare his vel anathema infligit: „Si quis dogmata mandata interdicta sanctiones vel decreta pro catholica fide pro ecclesiastica disciplina pro

correctione fidelium pro sceleratorum emendatione vel interdictione imminentium vel futurorum malorum a Sedis Apostolicae praeside salubriter promulgata contempserit anathema sit.“ (syn. Rom. a. 863 c. 5 ap. Hardouin coll. conc. V. col. 574. itd. in ep. 118 ad Adon. archiepp. Vienn. M. c. 1122).

His sententiis prolatis, quibus facillime innumeras alias addere possem,[1]) satis patet, Nicolaum ob praerogativam Sedi Romanae divinitus concessam ob ejusdem universalem primatum et principatum ecclesiasticum, cujus sibi certissime conscius erat, optimo jure jurisdictionem et legislationem summam in ecclesia sibi vindicasse et exercuisse.[2]) Sed fortasse quis nil nisi meram et miram praesumptionem Nicolai in sententiis illis fuisse dixerit.[3]) Cui respondeo, non solum Nicolaum sed omnes coaevos etiam (nam antecedentia et tempora et argumenta consulto praetermitto) de summa praerogativa S. A. prorsus ejusdem sententiae fuisse itaque et ipsos illum indubitate pro legislatore ecclesiastico universali habuisse. Nam primum omnes assertiones illae a Nicolao in publicis documentis

---

[1]) Liceat mihi praeter locos prolatos indicare tantum ep. 18 ad Carol. Calv. M. 799, ep. 22 ad Hincm. Rhem. l. c. 821, ep. 49 ad Hermintrud. reginam l. c. 863, ep. 65 ad Rodulph. Bituric. l. c. 882, ep. 86 ad Mich. imp. l. c. 948, ep. 101 ad Ignat. Ct. l. c. 1058.

[2]) Quare multum errant, qui constitutiones hujus sicut sequentium Pontificum nulli alii autoritati nisi decretalium Pseudo-Isidorianarum tribuunt. Ita quidem fere omnes H. E. scriptores sedi apostolicae infesti asserunt ex. gr. Schröckh. „christl. Kirchengesch.“ XXII. p. 152. Gieseler „Lehrbuch der K. G.“ ed. 3tia II, 1. p. 166 sq. Neander „allg. Gesch. der christl. Rel.“ ed. 1836 IV, p. 165. Etsi hoc loco quaestionem, num omnino Nicolaus eas decretales noverit usurpaveritve, longius disquirere nolo, tantum tamen constat, pro praeceptis et institutis suis illum ne verbo quidem ex iis praesidium sumpsisse, sed solummodo ex universali Sedis Romanae autoritate.

[3]) Tale quid certe omnes, quos modo dixi, scriptores insinuant (cf. etiam Henke „Allg. Gesch. der christl. K.“ ed. 4ta II, p. 46. Eichhorn K. R. I, 84). Vel Planckius, qui de tota hac re aequius judicat, hoc tamen principium a Nicolao novum et primum inductum esse vult, quod omnes Pontificum Romanorum decretales per se universali ecclesiae obligatoriae essent (cf. Gesch. der christl. kirchl. Gesellsch.-Verfass. III, 136—141). De qua re quia longior disquisitio necessaria, vide Appendic. I.

in litteris ad imperatores reges episcopos synodos datis pronunciabantur, nec a quoquam eorum ut praesumptiones notabantur vel rejiciebantur. Immo et ipsi illum litteris suis „Dominum sanctissimum totiusque ecclesiae Pontificem et universalem Papam“ appellant [1]) et verbis et factis summam ejus jurisdictionem praedicant. Ita Ludovicus et Lotharius reges eum adeunt: „oportet vestrae autoritatis jubar propter generalem sollicitudinem nostros invisere fines, ut apostolica invectio ad censuram ecclesiasticam venire compellat“ (Baron. ann. 860 n. 30). Similiter Carolus Calvus eum „specialem patrem divina dispositione universali ecclesiae praepositum“ vocat (ep. 3 ad Nic. ed. Migne CXXIV, col. 867) eique semper plenissimam reverentiam et obedientiam exhibet (cf. cett. epist. l. c.). Quum in dissidio Ludovici Pii et filiorum animi in Gregorium Papam iniquiores essent, tamen Agobardus episcopus Lugdunensis, doctrina et sanctitate prae omnibus conspicuus, a rege consultus non dubitat verba s. Leonis P. proferre: „ecclesiastici muneris sacramentum Dominus ita ad apostolorum omnium officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet, ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere“ (de comparat. regim. eccl. et polit. ed. Migne CIV. col. 295). De coaevis Nicolai episcopis autem pro teste Hincmarum Rhemensem omnium facile doctissimum et dignitati episcopali fere nimis studiosum adduxisse sufficiet. Qui ubique Romanam ecclesiam reverentissime habet, quippe „omnium ecclesiarum matrem et magistram“ [2]) „ad cujus sollicitudinem universalis ecclesia pertineret,“ [3]) „quae quod doceret, hoc piis devotis atque catholicis omnibus posse et debere

---

[1]) Ex. gr. in ep. eppor. syn. Aquisgran. 860 (ap. Hardouin l. c. V. 502), ep. Caroli Calv. (l. c. p. 603, 680), ep. Lothar. reg. (Migne CXXI, col. 371, 374.)

[2]) de praedest. ctra Godeschalc. c. 24. epilog. c. 4. (Hincm. Opp. ed Sirmond. Paris 1645 I, p. 150, 153, 370). ep. 29. ad Car. Calv. (Opp. II, 318).

[3]) epist. Caroli II. nomine ad Joh. VIII. script. (Opp. II, 778).

sufficere.“ [1]) „De omnibus dubiis, vel obscuris, docet alio loco, quae ad rectae fidei tenorem vel pietatis dogmata pertinent, s. Romana ecclesia ut omnium ecclesiarum mater et magistra nutrix ac doctrix est consulenda et ejus salubria monita sunt tenenda“ (de divort. Loth. et Theutb. init. Opp. I. 561). Quod idem Benedictus Papa ab illo revera semper factum testatur. „Ut devotus fidelisque in omnibus filius, ei rescribit (Hardouin l. c. V, col. 101), pro instructione seu confirmatione gestorum ac regularum ecclesiasticarum semper tu ad hanc sedem recurrere soles.“ Nec Hincmarus a sententia sua recessit, quum varias cum S. A. controversias habuisset. Mortuo enim formidabili Nicolao in causa satis iniqua (sc. Hincmari Laudunensis) oblatisque sibi Pseudo-Isidorianis decretalibus ita sententiam suam aperit: „forte adversum me dices: ergo calumniaris S. A. in ss. ejus Pontificibus, eo quod male senserint et non tenenda decreverint. Unde tibi respondeo: illas epistolas sanctorum et apostolicorum virorum diversis temporibus ... pro diversorum consolatione (al. consultatione) a S. A. datas et per eosdem Dei sacerdotes . . . ordinatus cum b. Gelasio venerabiliter suscipiendas dico. Quae suis temporibus congruentes erant, donec per sacra concilia patres nostri in unum convenientes suggerente sibimet Spiritu sancto mansuras usque in finem saeculi leges condiderunt.“ (capitula LV. adv. Hincm. Laud. c. 25. Opp. II, 483).

Sed et synodi illius temporis non minus Romani Pontificis universalem primatum praedicant. Ex. gr. syn. Paris a. 849 in ep. ad Nomenoium ducem (Hard. l. c. V. 20): „satis haec ad tuam perditionem sufficiebant; sed ad cumulum malorum auxisti temeritatem et omnem laesisti christianitatem, dum vicarium b. Petri apostolicum, cui dedit Deus primatum in omni orbe terrarum, sprevisti.“ Syn. Aquisgran. a. 860. ep. ad Nic. ita incipit: „apostolicis documentis et pontificalibus decretis multipliciter informamur, ut vestri sanctissimi apostolatus apicem, principis apostolorum fide et nomine consecratum, quoties s. ecclesia aliqua novitate pulsatur, humiliter adeamus,

[1]) de praedest. c. 4 et 24. (Opp. I, p. 24 et 152).

ibique veri consilii saluberrima instituta sinceriter hauriamus, ubi Christus fundamentum ecclesiae posuit" (Hardouin l. c. V. 502). Similiter testantur syn. Rom. a. 853 (l. c. 70), syn. Suess. III, a. 866. ep. ad Nic. (l. c. 627), syn. Tricass. a. 867. ep. ad Nic. (l. c. 681).

Nec non factis suis omnes ex diversis orbis christiani partibus Pontifici Romano summam et universalem jurisdictionem esse probarunt. Ita imperator Constantinopolitanus eum pro confirmanda Ignatii depositione et Photii electione, Bulgari pro mittendis evangelii praedicatoribus, Britanni pro constituendo in ipsorum terra proprio metropolitano (Nic. ep. 91, 92 M. col. 969 ss.), multi ex diversis regionibus episcopi pro decidendis circa doctrinam et disciplinam dubiis, [1]) innumeri homines pro omne genus gratiis obtinendis et coram et litteris adibant. [2]) Quibus omnibus evincitur, Nicolaum ex sua non

---

[1]) Ut ex Nicolai responsis exstat, eum ex. gr. adierunt Venilo archiepiscopus Senonensis de removendo episcopo insano (cf. Nic. ep. 1. ed. M.), Gallio Senensis archiepiscopus de appellatione presbyteri ad S. A. (ep. 70), Huntfridus s. Guifredus Morinensis episcopus de resignatione sua (ep. 9) et postea de poenitentia presbyteri (ep. 134), Ado Viennensis archiepiscopus de diversis rebus disciplinae ecclesiasticae (ep. 59, 69, 118), Carolus Moguntinus ejusque suffraganei de quibusdam causis judicialibus, de impedimento consanguinitatis et de publica poenitentia (ep. 26, 27), Rotbertus Cenomanensis episcopus ob dissidia quaedam de jurisdictione sua exorta (ep. 51), Rodulphus Bituricensis archiepiscopus de diversis disciplinae ecclesiasticae causis (ep. 66), Arduicus Vesontionensis de diversis rebus matrimonialibus et poenitentialibus (ep. 82), Frotarius Burdigalensis, Joannes Ravennas et Adalwinus Juvaviensis de certis casibus poenitentialibus, matrimonialibus et monialibus (ep. 122, 124, 125), idem Juvaviensis de episcopis et clericis aegrotantibus (ep. 126, 128), Salomon Constantiensis episcopus de judicio presbyteri, de cognatione spirituali et de poenitentia (ep. 129, 130, 131), Osbaldus chorepiscopus Quadrantinus de poenitentia clericorum (ep. 138, 139).

[2]) Saepe Nicolaus commemorat, innumeros ex omnibus mundi partibus homines Romam confluere, ut ibi remissionem peccatorum aut alias gratias spirituales invenirent (cf. Nic. ep. 22, 23, 136, 149, 152, 158). Sed et litterae ipsius ejus rei multa specialia documenta exhibent. Ita diversi poenitentes gravibus sceleribus obstricti ab eo medelam quaesiisse recensentur in ep. 116, 119, 133, 136. Balduinus comes eum adiit pro impetranda

minus quam omnium coaevorum sententia primatum et principatum in universali ecclesia tenuisse, itaque merito legislatorem ecclesiasticum dici posse.

Statim hoc loco singulare aliquid legislationis primorum Pontificum Romanorum addendum est, quod et postea partim tenuit. Nam eorum leges minus decreta justa forma orbi universo promulgata quam responsa aut litterae ad aliquam certam persanam data erant. Quae quidem saepe accipientes episcopi omnibus regionis suae coepiscopis communicare jubebantur, aut etiam transscripta a Papa ipso in varias terras mittebantur (epistolae a pari). Sed sive hoc sive alio modo in cujusvis notitiam perveniebant, ab eo pro norma juris adsciscebantur. Atque quum in dubiis ea nosse omnium intererat, mox ipsa colligebantur et codici canonum addebantur. [1]) Eo modo rescripta Pontificum Romanorum etiam Nicolai tempore pro legibus habita esse, satis docent verba Hincmari jam supra laudata (cf. p. 6). Quare haud temere aut inscie fit, si in sequentibus loci ex litteris Nicolai ad singulas personas datis quasi normae canonicae universalis ecclesiae proferuntur. Idem prorsus Regino Prümensis, Ivo, Gratianus et omnes canonum collectores fecerunt.

II.
De singulis juris ecclesiastici partibus, quas Nicolaus constitutionibus suis promovit.

Si jus pontificium, quod et ipsum Nicolaus fere in omnibus partibus magis excoluit, hoc loco missum facio, de reliquo jure ecclesiastico praeprimis haec sunt, quae ille

---

Caroli Calvi venia et gratia, cujus filiam sibi in matrimonium rapuerat (ep. 22, 23, 35, 36), Carolus Caroli Calvi filius in simili causa (Mansi XV, col. 458), Helletrude soror Lotharii regis pro recipiendis a fratre suo bonis ablatis (ep. 112), Attho comes quidam ob irritanda vota monastica filii sui (ep. 117), Ludovicus Germaniae rex ob diversa negotia ecclesiastica (ep. 61), Carolus Calvus per episcopos suos de praestando a Britonibus annuo censu (Hardouin V, 627 ss.).

[1]) cf. Philipps K. R. §. 152, 153.

decretis suis collustravit: *A*. de monasteriis et votis ecclesiasticis, *B*. de statu clericali, *C*. de matrimonio, *D*. de judiciis ecclesiasticis, *E*. de poenitentia.

A. De monasteriis et votis monasticis.

Monasteriorum Nicolaus similiter ac praedecessor ejus Gregorius I fautor erat. Iis providere et omni modo succurrere, pro primaria parte sollicitudinis Pontificiae habuit. [1]) Quare omni studio eorum rem promovere et aptis privilegiis constitutionibusque fulcire curabat.

Monasteria occidentalia tunc temporis fere omnia s. Benedicti regulam sequebantur. In Italia decursu saeculi septimi eam adsciverant;[2]) itidem in Anglia.[3]) In Gallia imprimis s. Bonifacius illa ad eam adegerat et principes Carolingi idem usque strenue prosecuti erant;[4]) quod idem in Germania. Nicolaus igitur primum omne studium adhibuit, ut eadem ubique in ipsorum institutis firmaret et tueretur. Quare non solum singula eorum peculiaribus privilegiis in tutelam S. A. recepit,[5]) sed etiam a. 863 synodo Romae habita pro omnibus Galliarum monasteriis Gregorii I privilegium novo privilegio auxit, quod Carolo regi et omnibus regni ejus episcopis sub anathemate observandum transmisit. In quo praeter ea, quibus s. Benedicti et Gregorii I tantum constituta

---

[1]) cf. privileg. Corbej. a. 863 ed. M. l. c. 815.

[2]) Gregorius I nondum illam regulam in monasteriis suis habebat cf. dialog. II, 36. IV, 21.; sed in decretis Bonifacii IV. a. 610 (Hardouin III. 543 sq.) jam s. Benedictus ut communis monachorum praeceptor praedicatur.

[3]) Joannes diaconus in vita b. Gregorii IV, 82 de Anglia sui temporis refert: „vix potest in illis partibus monachus aliquis inveniri, a quo non observetur tam in proposito quam in habitu regula s. Benedicti.“

[4]) in syn. Liptinens. I, c. 7, II, c. 7, et exinde Carolomanni capitul. a 743 c. 1 (Pertz l. c. III, 18), Ludovic. Pii capit. a. 817 c. 1—3 (l. c. 201.)

[5]) ex. gr. monasterium Fuldense a. 859 (M. l. c. col. 770 ss.), Corbejense (l. c. 815 ss.), Sandionysianum (l. c. 820 ss.), s. Karilefi Cenomanicense (l. c. 846 ss.) a. 863, Vizeliacense a. 867 (l. c. 1116).

repetuntur,[1]) aliqua etiam nova adduntur. Quum enim illo turbulento tempore summopere necesse esset, ut pro servanda monastica dignitate et disciplina abbas regulariter electus quasi sacrosanctus exsisteret, Nicolaus constituit, ut talis non nisi ob criminalem causam justo judicio deponi posset. Ad hoc judicium autem non minus decem,[2]) minimum vero sex[3]) episcopi convenirent et sententiam ferrent. In ceteris nisi speciali privilegio aliter provisum, monasteria ut episcopo proprio subjacerent voluit;[4]) ipse ejusmodi exemptionem non concessit, nisi petitus a fundatore vel regionis principe aut antiquo jam privilegio tali exsistente.[5]) Judicium autem de

---

[1]) Scilicet 1mo ut circa bona et totam substantiam monasterii solus abbas et fratres liberrimam dispositionem haberent (non rex, non episcopus etc.), 2do ut episcopus proprius nisi invitatus ad monasterium ne accederet quidem, pontificalia autem gratis praestaret, 3tio ut abbatis eligendi soli fratres potestatem haberent. Quem eundem modum et posteriora privilegia reservarunt ex. gr. Benedicti III priv. Corbej. et Sandionysian. ap. Hardouin l. c. V. col. 104 ss.

[2]) privileg. laudat. monasteriorum Galliarum a. 863 (M. l. c. 845).

[3]) ita in privileg. monast. s. Karilefi a. 863 (M. l. c. 849.)

[4]) cf. epistolae Nicolai de monasterio s. Karilefi Cenomanicensi ad Carolum Calv., episcopos etc. scriptae (M. l. c. ep. 50—54). Etiam in priv. monast. Gall. „abusum“ tantum propriae potestatis episcopalis interdicit (l. c. col. 845).

[5]) Ita privilegium monast. Sandionys. et s. Karilefi petente Carolo Calvo (M. l. c. 820, 846), Vizeliacens. petente Gerardo comite (l. c. 1116), Fuldensis et Corbejensis jam antiquo tali privilegio exsistente (cf. l. c. 770, 816). Ceterum tales monasteriorum exemptiones jam IV. saeculo in Africa in usu erant et syn. Carth. a. 525 iterum confirmatae sunt, ita ut ibi monasteria omnia immediate primati Carthaginensi subessent (Hardouin l. c. II, 1083 ss.). Similiter in oriente, ubi conc. Chalc. c. 4. et Justinianus Nov. 123 c. 21 illa prorsus episcopo proprio subjecerant, jam saec. VII. a patriarchis factum est (cf. Thomassin „vetus et nova eccl. discipl.“ P. I, l. 3. c. 31. n. 14 ss.). In occidente, ubi plures synodi (ex. gr. Ilerd. a. 524 c. 3. Tolet. IV, a. 631 c. 51) et praeprimis Gregorius I syn. Rom. a. 601 libertatem monasticam vindicaverant, primus Adeodatus Papa a. 670 monasterium s. Martini Turonense, deinde Zacharias a. 751 monast. Fuldense omni episcopi proprii jurisdictioni subtraxit et S. A. immediate subjecit, idque petentibus ipsis ejus regionis episcopis (cf. Thamassin l. c. I, 3. c. 30, n. 7 ss.).

violatoribus privilegiorum monasticorum primum penes episcopum proprium esset, deinde ad metropolitanum et postea ad A. S. deveniret.[1])

Quibus constitutionibus et violentiis episcoporum aut saecularium nobilium et libidinibus monachorum sapientissime occurrebatur ut ex neutra parte temere justus rerum ordo turbari posset. Quod autem ad judicandum abbatem episcopos non minus sex convenire voluit, similitudinem ex vetere forma judicii de dejectione presbyteri sumpsit, ad quod totidem judices episcopi postulabantur.[2]) Ubi autem vel decem episcopos ad illud negotium requirit, magis ad similitudinem judicii de episcopo instituendi fecit, ad quod antiquitus duodecim episcopi judices adsciscendi.[3])

Quoad vota monastica, ea et irrefragabilia esse et stricte observari voluit.[4]) Sed id etiam tenuit, ea omnino libere suscipienda esse nec quemquam invitum ad ea cogendum. Quare quum s. Benedicti regula permitteret, ut etiam infantes monasteriis offerri possent, qui postea omnino ibi manerent, Nicolaus puerum invitum infra a. 8 — 10 a patre monastico habitu indutum a ligamine moniali solvit, nisi sua voluntate ad id rediret.[5])

B. De statu clericali.

Non minus quam monastico Nicolaus clericali etiam statui curam suam innixe impendit. Pro cujus splendore et honore servando gravissima illa cum Michaele imperatore et Hincmaro Rhemensi certamina iniit. Sed et veteres canones hoc idem

---

[1]) privil. Corbej. l. c. 818, s. Karilefi l. c. 849.

[2]) syn. Carth. I. a. 348 c. 11, II. a. 390 c. 10, III. a. 397 c. 8, cf. C. XV. qu. 7.

[3]) cf. synodi Carth. citt.

[4]) cf. ep. 26 ad Carol. archiep. Mogunt., ep. 125 ad Adalwin. archiep. Juvav.

[5]) ep. 117 ad eppos in regno Lud. constit. Notandum quidem, quod ibi oblatio non solenniter, forma a regula s. Benedicti praescripta, facta erat. Sed Nicolaus eam irritam declarans non ex hoc sed ex defectu voluntarii consensus causas sumpsit. „Voluntarium debet Dei sacrificium esse. — Quod enim quis non eligit nec optat, profecto non diligit, quod autem non diligit, facile contemnit. Nullum quippe bonum nisi voluntarium." id. in resp. ad consulta Bulg. c. 87.

spectantes impigre restituit. In quibus primum irregularitates ut stricte respicerentur instituit: „ne fas esse confidat quisquam pontificum, ad Mich. imp. scribit, bigamos, aut conjugia sortientes aut ab aliis derelicta, (?) sive quoslibet post poenitentiam, vel sine litteris, vel corpore vitiatos, vel conditionarios, aut curiae publicarumque rerum nexibus implicatos, aut passim nulla temporis congruentis exspectatione discussos, divinis servituros applicare ministeriis, neque pro suo libitu jura studeant aliena pervadere absque S. A. justae dispositionis mandato.“ [1]) In fragm. ep. ad Adalwinum Juvav. hisce addit a daemonibus obsessos. [2]) Deinde ad reprimendam ambitionem iterum iterumque constitutiones veteres repetiit, ne ordinationes per saltum fierent neve laicus statim ad episcopatum assumeretur.[3])

Ex iis, quae vitae clericalis honestatem spectant, praeter generaliter dicta imprimis sententiae ejus pro coelibatu et animi lenitate et contra militiam venationemque clericorum conspicuae sunt. Jam vidimus, eum „conjugia sortientes“ ad suscipiendos ordines irregulares esse declarasse. In quo et alias semper canones veteres tenuit. „Sacerdotes scripsit ad Carolum archiepp. Moguntinum, si in fornicationis inciderint laqueum et manifestus sive ostensus fuerit actus, sacerdotii non possunt habere honorem, secundum canonicae institutionis autoritatem“ (ep. 26). Quum subdiaconus quidam licentiam uxoris ducendae sibi a Nicolao datam coram episcopo suo simulasset ille huic mendacium tale detegens scripsit „se nulli unquam clericorum exceptis illis, quos ecclesiastica regula habere permittit, uxorem ducendi licentiam dedisse.“[4]) Judicium

---

[1]) ep. 4 ad Mich. imp. M. col. 776 cf. Innoc. I. ep. 23 ad eppos syn. Tolosanae c. 6 (Hard. I, 1024), Gelas ep. 5 ad Eppos Luc. c. 3 (l. c. II, 899).

[2]) ep. 126 ad Adalwin. Juvav. l. c. 1126.

[3]) ex. gr. ep. 4 Mich. imp. l. c. 774 ss., ep. 11 ad omnes fideles l. c. 784, ep. 99 ad Phot. l. c. 1051, ep. 104 ad clerum Ct. l. c. 1088.

[4]) ep. 59 ad Adonem archiep. Vienn. l. c. 870. Ceterum quomodo illo tempore communiter vita coelebs et casta omnibus clericis majorum ordinum necessarium officium erat, cf. capitula Caroli M. a. 789 n. 4 (Pertz. l. c. III, 55), syn. Rom a. 826 c. 15 (Hard. l. c. V, 66), Hincmari capitula c. 21 (Hard. l. c. 397), syn. Wormat. a. 868 c. 9 ss. (Hard. l. c. 739).

autem de ejusmodi perfido presbytero non a subjecto populo sed ab ipiscopo ordinario exerceri voluit. [1])

Deinde militare clericos, sicut jam s. Bonifacius interdixerat et Carolomannus publici juris fecerat, [2]) et ipse omnino vetuit. „Sicut turpe et perniciosum est, scripsit, [3]) laicum missas facere, sacramenta corporis et sanguinis Christi conficere, ita ridiculum est et inconveniens, clericum arma sùstollere et ad bella procedere.“ Quod idem, quia inter Germanos irrepere videbatur, Carolo et Ludovico regibus valde improperavit: [4]) „militum enim Christi est, Christo servire, militum vero saeculi saeculo, sicut scriptum est „nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.““ Ut autem characteri clericali ne minima quidem immanitatis macula adhaereret, constituit, ut si quis clericus vel se defendendo aliquem etsi paganum occidisset, is non modo non ad altiorem gradum promoveretur sed vel proprio careret. [5]) Eadem de causa etiam venationem clericis omnino interdixit. Quae quidem jam identidem a synodis et principibus proscripta erat, [6]) sed nihilo secius tunc temporis imprimis in Gallia et Germania fere moris facta erat. [7]) Quare Nicolaus, ad archiepiscopum Juvaviensem scribens, severis verbis eam vindicavit: „o miseram vitam hominum et maxime sacerdotum, qui dum lucrandis fidelibus debent insistere, venandis feris incumbunt, et quos capere oportet homines, capiunt aves et bestias... In quo quisque magis carnalis apparet, quam in tali vita? Venatorum enim vita nil praeter carnes capit, in qua dum quisque permansit, nunquam probatus est. Nam, ut b. Hieronymus dixit, venatorem nunquam legimus

---

[1]) cf. resp. ad consulta Bulg. c. 71, l. c. 1006.

[2]) syn. 742 et Capit. Carolomanni n. 2 (Hard. III, 1920).

[3]) ep. 134 ad Guifred. ep. Morin. M. l. c. 1129.

[4]) ep. 83 l. c. col. 922.

[5]) ep. 134 ad Guifred. Morin., ep. 138 ad Osbald. chorepp. Quadrant.

[6]) ex. gr. syn. Epaunens a. 517 c. 4 (Hard. II, 1048), Matiscon II, c. 13, syn. Suess. 744 et Capit. Carolomanni ejd. a. n. 3 (Hard. III, col. 1933), syn. Rom. 826 c. 12. convent. Mogunt. a. 852 n. 6 (Pertz III. 412).

[7]) Nic. ep. 127 ad Adalwin. „quod vitium (sc. venationis) plurimos etiam de clericali catalogo genere dumtaxat Germanos et Gallos irreverentes implicat.“

sanctum. Vae hujusmodi praesulibus, qui dum debent Petrum, Andream, Jacobum, Joannem ad imitationem suam eligere, magis Nemrod et Ismaëlem atque Esau improbos imitantur!"

Nicolaus igitur, etsi de vita clericali fere nil nisi veteres canones renovavit, tamen haud parum disciplinae ecclesiasticae profuit, quum illi paene obliterati viderentur, et ipse voluntatem suam in omnibus stricte exsequi sciret.

C. De matrimonio.

Semper quaestiones de matrimonio permultum negotiorum rectoribus ecclesiae exhibuerunt. Ita et Nicolaus de eo saepius consultus sententiam suam et principia ecclesiastica edisserere coactus est. Quae hoc loco proferre eatenus expedit, quia qui status causarum matrimonialium illo tempore fuerit, inde apparet.

Primum igitur ille ubique summopere indissolubile matrimonium esse defendit. Notum est, quantum certamen contra adultera desideria Lotharii regis sustinuerit. Quare etiam ubi aliquod impedimentum dirimens postea exortum erat, semper matrimonium antecedens tuebatur.[1]) Vel dirempto propter consanguinitatem matrimonio utrumque conjugum superstite altero aliud conjugium inire vetuit.[2]) Eadem ex causa etiam separationem ob votum castitatis non admisit, nisi utroque conjuge prorsus consentiente.[3]) Tertium autem matrimonium tunc solum

---

[1]) Ex. gr. accedente cognatione spirituali ep. 66 ad Rodulph. archiep. Bituric., ep. 132 ad epp. Salonit. — Mundanae leges separari ibi matrimonium jussere cf. Cap. Pip. Compend. a. 757 n. 15 (Pertz l. c. III, 28), gesta Francorum (autoris incerti saec. VIII) c. 31 ap. M. XCVI. col. 1449 (narratio de Chilperico et Audovera); idem ob incestum alterius conjugis Cap. Pip. Vermer. a. 753 n. 2, 3, 10, 11, 18 (l. c. 22 sq.), Cap. Compend. a. 757 n. 10, 11, 13, 17, 18 (l. c. 28 sq).

[2]) ep. 82 ad Arduic. archiepp. Vesontion. c. 2. Et in hoc mundanae leges dissenserunt: Cap. Pip. Vermer. a. 753 n. 1 (cf. Cap. Compend. n. 1 — 3) in tertio gradu separatis nova conjugia concedit, in quarto gradu eos solum poenitentiae submittit.

[3]) ep. 83 ad Lud. et Car. Calv. regg. M. l. c. 924, ep. 149 ad Loth. reg. l. c. 1148. Ceterum ipse in his non nisi veteres canones imprimis

improbavit, si quis deinceps in conjugio duas sorores aut vice versa habuisset.[1])

Ut autem verum ratumque matrimonium esset, primum necessariumque mutuum conjugum consensum declaravit.[2]) Deinde etiam certam formam ecclesiasticam observatam voluit, sc. ut iniretur „coram testibus secundum legem et ritum, quo nuptiae celebrari solerent, et publica manifestatione;“[3]) hoc ad valorem matrimonii necessarium esse dicit. Cetera sollemnia in ineundis matrimoniis varia esse posse, aperte concessit et Graecos hac in re nimis rigorosos reprehendit.[4]) Similiter et humanos quosque respectus, qui nonnunquam matrimonia turbant (ex. gr. natalium inaequalitatem), eorum valorem non rescindere edixit.[5]) Vel consensum parentum aut tutorum, sine quo secundum jus Romanum matrimonium invalidum erat (fr. 2. D. XXIII, 2, princ. J. I, 10), solum inter sollemnia haud necessaria posuit.[6])

Impedimenta dirimentia matrimonii non nisi antiquitus tradita habet. In quibus de gradibus consanguinitatis quidem certum quid statuere renuit;[7]) sed videtur eos usque ad VII

Gregorium I sequitur (cf. l. c. 1149). Sed mundanae leges etiam ibi dissenserunt. Capitularia quidem itidem sine consensu alterius conjugis conjugem religiosam vitam profiteri vetabant (Cap. Vermer. n. 4, Compend. n. 5); sed num vir novum conjugium inire posset, discrepabant: Cap. Verm. n. 21 id vetat, Compend. n. 16 autem (sicut Justinianus c. 53, §. 3 C. I. 3) permittit.

[1]) ep. 82 ad Arduic. Vesont. c. 1.

[2]) resp. ad consulta Bulg. c. 3 „sufficit secundum leges solum eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui consensus si solus in nuptiis forte defuerit, cetera omnia etiam cum coitu celebrata frustrantur.“

[3]) ep. 157 commonitorium ad legatos pro causa Theutbergae.

[4]) resp. ad consulta Bulg. c. 3 „peccatum autem esse, si haec cuncta in nuptiali foedere non interveniant, non dicimus, quemadmodum Graecos vos astruere dicitis, praesertim quum tanta soleat quosdam arctare rerum inopia, ut ad haec praeparanda nullum his suffragetur auxilium.

[5]) ep. 159 ad Carol. Calv. (M. col. 1182).

[6]) resp. ad consulta Bulg. c. 3.

[7]) ep. 26 ad Carol. archiepp. Mogunt. (M. col. 810) „statuimus, ut nulli liceat Christiano de propria consanguinitate sive cognatione uxorem accipere,

gradum produxisse, quum saltem crimen incestus usque ad eum gradum computaret.[1])

Judicium denique de causis matrimonialibus prorsus ecclesiasticum esse vindicavit, ita tamen ut alter conjugum ipse accusator exsisteret.[2])

D. De judiciis ecclesiasticis.

Optime Nicolaus de judiciis ecclesiasticis promeritus est. Nam et violentia imperatorum Byzantinorum et dissidiis inter Carolingos exortis factum erat, ut veteres constitutiones obliteratae aut antiquatae viderentur et judicia ecclesiastica persaepe magis tyrannice quam canonice haberentur. Quare ille primum id ubique summo studio egit, ut ipsa generatim ad pristinum canonicum firmumque ordinem redigerentur. Ita in judicio de Wulfado et sociis ejus habito admodum reprehendit, quod „illi ante audientiam et ante certum numerum episcoporum judicati essent, quod metropolitanus modo accusator modo judex fuisset, quod ipsi clerici libellum proclamationis porrigere compulsi essent, qui tamen juxta morem gestis non insertus, et quod vel aegrotus absens judicio submissus esset.“[3]) Similiter in causa s. Ignatii generatim de judicio episcopi edisserit:[4]) „ita volumus quemcunque pontificem judicari, ut non a saecularibus quibusque judicetur, non tyrannice propellatur, non ante audientiam ecclesia sua privetur, non ab inferioribus sed a majoris autoritatis persona recti calculi sententiam consequatur, . . ut paterni termini non transsiliantur, ss. canones non conculcentur nec decretalia S. A. constituta, quibus ecclesia tota fulcitur et munitur, quoquomodo

---

usque dum generatio recordatur, cognoscitur aut memoria retinetur. Generationum autem in hac re numerum non definimus.“ Idem reddit syn. Wormat. 868 c. 32 (Hardouin. l. c. V. 742).

[1]) decreta Nic. M. col. 1132. Ita etiam Gregorius III ep. I. ad s. Bonif. c. 5 (Hard. III. 1869) et Leo III ep. ad eppos Bavar. cognationem per 7 gradus computarunt.

[2]) ep. 124 ad Johannem archiepp. Ravennat.

[3]) ep. 108 ad Hincm. Rhem. M. col. 1102.

[4]) ep. 104 ad clerum Ct. M. col. 1070.

violentur, denique ut ecclesiae, cui reus praeest, jura nulla temeritate nulla praesumptione frangantur.“ Ex hac norma generali ille omnes partes judicii ecclesiastici sapientissime moderatus est. Quas ejus sententias ita exhibebimus, ut primum de personis in judicio occurrentibus deinde de modo actionis ipso quid ille statuerit proferamus.

Inter personas in judicio occurrentes nominandi sunt judices, accusatores, testes et reus. Judices igitur Nicolaus voluit ut competentes et in certo numero et ab omni partium studio praevie liberi essent. Pro eorum competentia postulavit, ut ipsi reo immediate praepositi, [1]) aut si forte communi partium consensu electi, [2]) tamen semper iis potiores essent.[3]) Quare judicium de homine laico vel presbytero proxime ad episcopum proprium, ad primatem demum per canonicam appellationem pertineret,[4]) de episcopo ad primatem aut metropolitanum adhibitis justo numero episcopis finitimis, [5]) de metropolitano, primate vel patriarcha ad Sedem Apostolicam,[6]) de abbate similiter ad conventum episcoporum finitimorum, in quibus episcopus regionalis esset, [7]) de violatoribus privilegiorum monasticorum denique ad episcopum proprium ejus regionis [8]) aut secundum peculiare indultum ad metropolitanum. Sedes Apostolica autem de tota ecclesia jus haberet judicandi,[9])

[1]) ep. 66 ad Rodulph. Bituric. archiepp. c. 2, ep. 84 ad Lud. II imperat.

[2]) ep. 148 ad Car. Calv. M. col. 1144.

[3]) ep. 86 ad Mich. imp. M. col. 944 „Sacris canonibus praecipientibus et exemplis ss. patrum semper, ubi est major autoritas, est eundum, et in controversiis omnibus ad potioris sedis judicia dirigitur.“ Sim. ep. 100 ad Bardam Caes. l. c. 1056, ep. 101 ad Ignat. Patr. l. c. 1059, ep. 104 ad clerum Ct. l. c. 1070.

[4]) ep. 66. cit. c. 2.

[5]) ep. 84 cit., ep. 25 ad Salomon. reg. Britt. l. c. 807.

[6]) ep. 32 ad Hincm. Rhem. l. c. 822, ep. 65 ad Rodulph. archiepp. Bituric. l. c. 882, ep. 75 ad eppos Galliae l. c. 904.

[7]) privil. monast. Gall. a. 863 M. col. 845, priv. monast. s. Karilefi col. 849.

[8]) privil. Corbej. a. 863 l. c. 818, priv. monast. s. Karilefi l. c.

[9]) ep. 65 ad Rodulph. Bit. l. c. 882 „Sedi Aplicae non solum quoslibet metropolitanos, quorum causa eidem est sedi semper servanda, verum etiam patriarchas moris est pro emergentium qualitate damnare vel etiam absolvere;

idque ita ut „de illis personis, quarum specialiter inchoasset agitare negotium, nulli fas esset alii vel removere vel aliquid diffinire, nisi forte cui ipsa praecepisset.“[1]) Specialiter absolutio damnati non nisi a damnante ipso aut a majoris autoritatis sede,[2]) aut a Sede Apostolica[3]) effici deberet. Praeterea saeculari judicio omnino nec clerici,[4]) nec quaecunque personae ecclesiasticum judicium expetentes subjacerent.[5])

De numero autem judicum statuit, ut pro causa episcopi XII,[6]) pro causa abbatis X aut saltem VI,[7]) pro causa presbyteri itidem VI[8]) episcopi comprovinciales essent. Pro aequitate denique eorum servanda postulavit, ut ipsi prorsus liberi, non metu gratiave capti,[9]) nec reo praevie inimici[10]) essent.

Quibus omnibus constitutionibus fere nil nisi veteres canones repeti, quisque facile agnoverit. Sed ii partim obliterati partim ex usu ecclessiastico cesserant itaque quodammodo renovandi erant. Siquidem de numero judicum idem synodi

---

jusque semper et fas habuit de omnibus sacerdotibus judicare, utpote cui facultas est, in tota Christi ecclesia leges speciali praerogativa ponere ac decreta statuere ac sententias promulgare.“ Sim. ep. 68 ad Advent. epp. Metens. l. c. 889, ep. 74 ad Hincm. Rhem. l. c. 898, ep. 75 ad eppos Gall. l. c. 904, ep. 98 ad Mich. imp. l. c. 1032, ep. 104 ad cler. Ct. l. c. 1084.

1) ep. 155 ad eppos in regno Lud. l. c. 1173.

2) ep. 98 cit. col. 1029, ep. 104 cit. col. 1080.

3) locc. citt. col. 1029 et 1081.

4) ep. 96 ad Mich. imp. l. c. 960. Ceterum jam Pippinus sec. syn. Carth. c. 8. clericum quemlibet saeculari judicio non subjici nisi jussu episcopi mandaverat (Capit. Vernens. a. 755 n. 18 ap. Pertz (l. c. III, 26).

5) ep. 148 ad Carol. Calv. l. c. 1144 „ecclesiae refugium quaerens et ecclesiasticum judicium semper expetens saeculari non debet submitti judicio.“

6) ep. 25 ad Salomon. reg. Britt. M. 807, ep. 91 ad Festinian. Dolens. l. c. 970.

7) cf. supra pag. 10 sq.

8) ep. 139 ad Osbald. Quadrantin. l. c. 1131. cf. ep. 108 ad Hincm. Rhem. „certus numerus.“

9) Ita in causa Ignatii judicantium episcoporum sententiam nihili duxit, quippe profecta ex metu et adulatione esset cf. ep. 86 ad Mich. imp. l. c. 961, ep. 98 ad eund. l. c. 1029, ep. 104 ad cler. Ct. l. c. 1080.

10) ep. 108 ad Hincm. Rhem. l. c. 1102 (de judicio Wulfadi et socior.)

Carthaginenses praescripserant,[1]) postea autem judicium de episcopo synodo provinciali datum.[2]) Si vero nova videatur suprema judiciorum ad S. A. reservatio, at certe jam antiquitus pronunciatum erat, unde illa necessario inducebatur sc.: „ad S. A. deferri totius ecclesiae judicia, ab ea autem appellare nulli licere.“[3])

Deinde de accusatoris persona etsi nil speciale exhibet, tamen generaliter significat, se in causa episcopi vetera de ea re constituta ubique servari velle.[4]) Similiter de testibus priscos canones expresse redintegravit, sc. ut ad damnationem episcopi LXX testes necessarii,[5]) iique „ne heretici anathematizati schismatici aut ab ecclesia reprehensi vel projecti aut ipsi sub accusatione existentes essent.“[6]) In causa presbyteri et diaconi saltem „certam qualitatem“ eorundem supponit.[7])

---

[1]) cf. supra pag. 11.

[2]) conc. Chalc. c. 9. Quumque hoc etiam Justinianus publici juris fecisset (Nov. 123 c. 8, 22, 23, 28. Nov. 137 c. 1), mox synodi occidentales idem sanxerunt: syn. Aurelian. V a. 549 c. 1, Lugd. II a. 567 c. 1, Matiscon. II a. 585 c. 9, Paris. V a. 614 c. 11.

[3]) Gelasius ep. 2 ad Faustum legat. Ct. (Hard. II, 885): ss. canones appellationes totius ecclesiae ad hujus sedis examen voluere deferri, ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt; ac per hoc illam de tota ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium nec de ejus unquam praeceperunt judicio judicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius decreta sequenda mandarunt.“ Sim. ep. 7. ad eppos Dardaniae (l. c. 909): „cuncta per mundum novit ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes b. Petri jus habeat resolvendi, utpote quae de omni ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio etc.“ (cf. c. 16, 17 C. IX. qu. 3). Ceterum cf. postea p. 21 ss.

[4]) ep. 25 ad Salom. reg. Britt. M. 807 „testes tales sint, qui et accusare possint.“ In ep. 86 ad Mich. imp. (l. c. 935) aperte de hac re conc. Ctplt. I c. 6 adducit. Praeter hoc ex veteribus constitutionibus nominandae syn. Carth. II c. 6 (Hard. I, 952), Carth. VII c. 1, 2. (l. c. 1250), Chalc. c. 21.

[5]) ep. 25. cit. Etiam in causa presbyteri et diaconi „canonicum numerum“ testium postulat in ep. 129 ad Salom. epp. Constant. l. c. 1227.

[6]) ep. 86 ad Mich. imp. M. 935 sec. conc. Ctplt. I c. 6 et Carth. VII c. 4. Ceterum pro sua causa similiter mundanae leges de testibus constituerunt. cf. Paulli Sent. V, 15 et Dig. XXII, 5.

[7]) ep. 129. cit.

Denique etiam pro reo aequam justitiam in omnibus exhiberi voluit. Quare prae omnibus ei semper plenam defensionis libertatem postulavit, ideoque interdixit, ne antea ullo modo inhiberetur, si autem id factum, praeprimis in statum integrum restitueretur.[1]

Quod autem ad modum ipsum actionis pertinet, prae omnibus postulavit, ut „utraque pars in judicio adesset et aequaliter audiretur;“[2] „in voluntarie absentem autem procedi posset, quia manifestum, illum quasi confiteri de crimine, qui purgandi se occasione non uteretur.“[3] Pro rei comprobatione accusatoris et testium idoneorum certa testimonia vel accusati spontaneam confessionem poposcit;[4] si quis autem metus adesset, sola confessio non sufficeret, quia „talis homo non confiteri sed tantum loqui videretur.“[5] Ordalia vero ibi adhiberi, omnino rejecit quum „hoc (sc. monomachiam) et hujusmodi sectantes deum solummodo tentare viderentur.“[6] Quibus omnibus et tuendae justitiae judiciorum ecclesiasticorum optime providit et legislatores civiles coaevos sapientia multum superavit, qui ex. gr. ordalia pro causae comprobatione fere omnes admittebant.[7]

Appellationes denique consueto more canonico procedere voluit sc. a foro episcopali ad metropolitanum deinde ad Sedem Apostolicam.[8] Sed sicut jam antiquitus usitatum,[9] concessit

---

1) ep. 104 ad cler. Ct. l. c. 1069, ep. 108 ad Hincm. Rhem. l. c. 1110.

2) ep. 70 ad Gallion. Senens. epp. l. c. 890, ep. 120 ad Hincm. Rhem. l. c. 1123.

3) (ex ep. I Bonifac. ad eppos Gall.) ep. 104 ad cler. Ct. l. c. 1073.

4) ep. 129 ad Salom. epp. Constantiens. l. c. 1127.

5) ep. 25 ad Salom. reg. Britt. l. c. 827.

6) ep. 148 ad Car. Calv. l. c. 1144 „Monomachiam in legem assumi, nusquam praeceptum fuisse reperimus, quam licet quosdam iniisse legerimus (1. reg. 17), nusquam tamen ut pro lege teneatur alicubi divina sancit autoritas, quum hoc et hujusmodi sectantes deum solummodo tentare videantur.“

7) cf. Capit. Langob. a. 779 c. 11 (Pertz III, 37), Capit. de latron. a. 804 c. 3 (l. c. 129), capit. de exercit. a. 811 c. 5 (l. c. 170), Cap. Langob. a. 813 c. 12 (l. c. 193), Cap. Aquisgran. a. 817 c. 10 et 15 (l. c. 212 sq.)

8) priv. Corbej. M. l. c. 818, ep. 66 ad Rodulph. Bituric. l. c. 884.

9) conc. Sardic. c. 3—5. cf. etiam Gelasii decr. supra pag. 19.

etiam, ut a primo judicio statim ad S. A. appellaretur. [1]) Quin certas causas huic soli judicandas reservavit, ex. gr. monasteriorum exemptorum adversus episcopum proprium,[2]) episcoporum et clericorum occasione s. Ignatii dejectorum[3]) nec non s. Ignatii et Photii ipsius.[4]) Inter quas illud notissimum et summi momenti, quod pro perpetuo causas episcoporum ut majora negotia Sedi Apostolicae reservavit. „Etsi Rothadius, in ejusmodi causa dixit,[5]) nunquam provocasset, nunquam omnino praeter scientiam nostram deponi debebat, quia s. statuta et veneranda decreta episcoporum causas utpote majora negotia nostrae diffiniendas censurae mandarunt.“ Quod quidem constitutum exinde plenarie in usum ecclesiasticum cedens, semper omnium S. A. infestorum stomachum, quasi mera praesumptio fuisset, admodum movit. Quare operae pretium est, in eo paullisper immorari et diligentius inquirere, unde derivatum et quid spectaverit.

Jam supra memoratum est, antiquitus agnitum esse, ad S. A. judicia totius ecclesiae deferri posse. Est hoc notioni primatus Romani necessario conjunctum multisque, sicut quisque historiae ecclesiasticae peritus scit, exemplis probatur. Sed mox etiam canonice provisum est, ut certae quaedam causae semper ad S. A. deferrentur. Primam ejusmodi legem synodus Nicaena tulisse videtur.[6]) Similiter synodus Sardicensis, quae jus appellationis denuo stabilivit, etiam de relationibus ad S. A. faciendis certum quid statuisse videtur; nam ad

---

[1]) ep. 51 ad Rotbert. Cenoman. epp. M. 865, ep. 70 ad Gallion. Senens. archiepp. l. c. 890, ep. 89 ad Hincm. Rhem. l. c. 965, ep. 110 ad Wulfad. etc. l. c. 1114, ep. 121 ad Herard. Turon. epp. l. c. 1123.

[2]) ita in priv. Corbej. l. c. 818, s. Karilefi. l. c. 850.

[3]) ep. 46 ad Mich. imp. c. 5. l. c. 854 et saep.

[4]) ep. 86 ad Mich. imp. l. c. 954, ep. 98 ad eund. l. c. 1043 et saep.

[5]) sermo Nic. in causa Roth. l. c. 892 cf. ep. 49. ad Hermintrud. reginam l. c. 863, ep. 73 ad Carol. Calv. l. c. 893, ep. 75 ad univ. eppos Galliae l. c. 901.

[6]) Certe Innocentius I eam synodo Nic. attribuit (ep. II ad Victricium c. 3); ea etiam est sententia Petri de Marca cf. „de concord. sacdot. et imp.“ I, 10 n. 6, et VII, 13 n. 6 ss.

Julium P. ita scribit: „hoc optimum et valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput i. e. ad Petri apostolici sedem de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes“ (Hard. I, 653). Quid autem deferendum esset, partim litterae Pontificales partim usus ecclesiasticus docent: erant causae sive negotia quae dicebantur majora, aut ad fidem et statum universalis ecclesiae spectantia, aut omnino dubia et difficilia. Scribit quippe, ut aliqua ejus rei testimonia afferam, Innocentius I ad Victricium (ep. II, c. 3. ap. Hard. I, 1000): „si majores causae in medium fuerint devolutae, ad S. A. sicut synodus (sec. antecedentia sc. Nicaena) statuit et beata consuetudo exigit, post judicium episcopale referantur.“[1]) Idem prorsus Leo I pluries litteris suis profert cf. ep. V ad eppos Illyr. c. 6,[2]) ep. VI ad Anast. Thessal. c. 5, ep. XII ad eppos Afric. Maurit. c. 13, ep. XIV ad Anastas. Thessalonic. c. I, 7, 11 (ed. Ballerini Opp. Leon. t. I.). Nec abhorrebat ab hac Pontificum Romanorum sententia reliquus orbis christianus. Jam anno 379 enim Gratianus imperator, petente synodo Romana, praeter canones Sardicenses id etiam publici juris fecerat, ut „causa metropolitani necessario semper Romam vel ad eos, quos Romanus episcopus judices dedisset, deferretur.“[3]) Idem prosecutus Valentinianus III a. 445 sanxit: „Hoc illis (sc. episcopis Gallicanis et aliarum provinciarum) omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit vel sanxerit A. S. autoritas, ita ut quisquis episcoporum ad judicium Romani Antistitis evocatus venire neglexerit, per moderatorem ejusdem provinciae

---

[1]) Eundem sane in modum (sc. de majoribus tantum causis) accipiendum est, quod idem ep. 24 ad conc. Carthag. scripsit: „patres non humana sed divina decrevere sententia, ut quidquid quamvis de disjunctis et remotis provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate justa quae fuerit pronuntiatio firmaretur“ (Hard. I, 1025).

[2]) ep. V c. 6 „Si quae vero causae graviores vel appellationes emerserint, eas sub ipsius (sc. vicarii aplici) relatione ad nos mitti debere decrevimus, ut nostra secundum ecclesiasticum morem sententia finiantur.“

[3]) rescript. Gratiani ad Aquil. vic. urb. (Hard. I, 843).

adesse cogatur.“ [1]) Honorius et Arcadius autem jam a. 421 simile quid ad sedem Constantinopolitanam transferre moliti sunt, Praefecto Illyrici praecipientes, ut „si quid ibi dubietatis emerserit, id oporteret non absque scientia revv. antistitis urbis Ctpltanae, quae Romae veteris praerogativa laetaretur, conventui sacerdotali sanctoque judicio reservari“ (l. 45 Cod. Theod. XVI, 2). Emergente deinde per Nestorium graviore schismate, Cyrillus patriarcha Alexandrinus ad Caelestinum P. retulit his verbis: „τὰ μακρὰ τῶν ἐκκλησιῶν ἔθη πείθουσι, ἀνακοινοῦσθαι τῇ σου ὁσιότητι“ (Mansi coll. conc. IV, 1012). Quod idem Justinianus imperator vel publici juris fecit (c. 7 pr. C. I, 1): „Neque patimur, ut quicquam eorum, quae ad ecclesiasticum spectant statum, non etiam ad Papam veteris Romae referatur, quum sit caput omnium sanctissimorum Dei sacerdotum.“ Nec deinceps unquam hoc principium, majora et dubia fidei vel disciplinae negotia ad S. A. referenda, obliteratum est. Ennodius ineunte VI saeculo ejusdem ut communis sententiae mentionem facit,[2]) Pelagius P. II,[3]) Gregorius I,[4]) identidem decretum Innocentii I vindicant, et ut statim Nicolai tempora attingam, vel Carolo Magno id usitatissimum et quasi pro lege erat. Qui de rebus fidei et disciplinae dubiis id diserte docet in libr. Carol. I, c. 6, et factis saepe executus est.[5])

[1]) Nov. constit. imp. Theod. II etc. ed. Haenel tit. XVI.

[2]) lib. apologetic. pro syn. Rom. (Max. biblioth. Patr. ed. Lugd. 1677 t. IX. p. 380 B.) „legite insanissimi: aliquando in conciliis praeter Aplici apicis sanctionem aliquid constitutum, et non de majoribus negotiis praefate Sedis arbitrio fuisse servatum?“

[3]) Pelag. II ep. 6 ad Joann. Patriarch. Ct. (Hard. III, 442): „majores et difficiles quaestiones, ut s. synodus statuit et b. consuetudo exigit, ad S. A. semper referantur.“ (Sed nescio, num satis certae fidei haec epistola.).

[4]) cf. epistolarum II, 4 ad Maximian. Syracus. IV, 50 ad Virgil. Arelat., 52 ad univ. eppos Galliarum („discussa veritate ad nostrum judicium referatur“) (ed. jussu Sixti V Paris. 1605 in tom. IV.)

[5]) Libr. Carol. I, 6 „sicut ceteris discipulis apostoli, apostolis omnibus Petrus eminet, ita ceteris sedibus apostolicae et apostolicis Romana eminere dignoscitur. Haec enim nullis synodicis constitutis ceteris ecclesiis praelata est, sed ipsius Domini autoritate primatum tenet. Hoc regulariter

Jam dudum igitur in usu ecclesiastico erat, ut negotia majora ad Sedem Apostolicam deferrentur iisque ab hac provideretur. Inter quae causas episcoporum habere Nicolaus sane optimo jure poterat. Nam, ut recte ait,[1] „si depositio episcopi non inter majora negotia habenda, quae omnino alia causa?“ Sed etiam tali computationi jam dudum usus ecclesiasticus suffragatus est. Nam, ut aliunde resciscimus, tunc temporis de episcopi judicio semper ad S. A. referebatur, aut ante aut post sententiam latam. Hincmarus Rhemensis enim Pseudo-Isidorianas de appellatione constitutiones refutans scribit hoc modo:[2] „(illae igitur ita.) Innocentius vero et successores ipsius postquam a ss. conciliis et Romanae Sedis pontificibus de certis capitulis expressius fuerunt decreta judicia, de dubiis vel obscuris ante judicium, de certis autem atque decretis (sc. si quis palam confessus vel convictus) post episcopale judicium secundum Sardicenses canones sub gestorum testificatione ad S. A. referri jusserunt. Quorum decreta in usu ecclesiastico etiam a tempore majorum nostrorum praevaluisse comperimus.“ — Praeterea metropolitanorum causae, ut vidimus,[3] jam inde a saeculo IV specialiter Sedi Romanae reservatae erant. Recte autem etiam hac ex parte Nicolaus ratiocinatus est:[4] „metropolitanorum quorum causae indubitate ad S. A. pertinent, et episcorum revera una eademque dignitas,“ „et insuper, aptissime addit, vel minorum clericorum causae secundum Innocentii I et Chalcedonensis concilii

---

omnes catholicae debent observare ecclesiae, ut ab ea post Christum ad muniendam fidem adjutorium petant.“ Ita igitur Carolus ipse in causa Elipandi (ed. Migne t. XCVIII ep. 6), in causa presbyterorum dubiae approbationis (l. c. ep. 11) et saepius in rebus dubiis et arduis S. A. consuluit.

[1]) ep. 75 ad univ. eppos Galliae M. 900.

[2]) capit. LV. ctr. Hincm. Laud. c. 20 (Opp. II, 452).

[3]) cf. supra pag. 22.

[4]) ep. 75 cit. M. 900 et 904. Ceterum canon 9 conc. Chalc., quem Nicolaus et ipsum huc refert, proprie ad primatem dioecesis spectat, ad Papam per similitudinem tantum.

decretum ad S. A. deposci possunt." — Ac revera si haec singula momenta probe recogitaverimus, non possumus non fateri, quod Nicolaus omnium episcoporum causas Sedi Apostolicae reservavit, id illum nec incongrue nec injuste fecisse.[1]) Praesertim quum hoc constituto simul necessitatibus illius temporis optime providebatur. Nam episcopi quum Caroli Magni institutionibus ad plenam administrationis publicae participationem vocati essent, mox eandem prorsus aut potius iniquiorem quam nobiles saeculares sortem experti sunt.

---

[1]) Nicolaus ipse rationes suas, ex quibus causas episcoporum ad forum S. A. deposcit, plane significat. Quas hoc loco breviter exhibere, haud incongruum est. Ait igitur (ep. 75 cit.) 1mo si causa episcopi non inter majora negotia referenda, quae omnino alia causa? Quanquam syn. Chalc. c. 9 vel presbyteros et inferioris gradus clericos a S. A. audiendos jubet. 2do quomodo tunc „ad unam Petri sedem universalis ecclesiae cura conflueret," „nec dissideret a suo capite ecclesia," sicut b. Leo et conc. Sardic. dixerunt? 3tio tunc igitur multa et magna decretalia statuta violarentur. Postquam quasi per parenthesim insulsam objectionem, non nisi decretalia in codice Dionysiano collecta valere, rejecit, adducit 4to decretum Leonis I de tractandis causis majoribus, Innocentii I de postulandis ad S. A. vel minorum clericorum causis, et ejd. Leonis Paulique apostoli (I. Tim. 3, 2) de una eademque episcoporum et metropolitanorum dignitate, unde colligit, certo episcoporum causas ad S. A. pertinere. Quare 5to „secundum officium primatus se merito velle et jure decernere ait, ut tam episcoporum quam metropolitanorum negotiorum exitus Sedi Aplicae reservarentur." 6to Jus absolvendi et restituendi Rothadii denique, quum episcopi ligantes id facere usque renuissent, autoritate syn. Nic. fulciri, quae cujusvis ecclesiae privilegia servari juberet. Illud jus autem privilegiis S. A. a Christo ipso profectis ideoque ut statutis Christi recipiendis vere inesse, diserte Gelasii et Bonifacii decretales docere. Hae quidem Nicolai rationes.

In quibus omnibus ne verbum quidem ex collectione Pseudo-Isidoriana. Si autem episcopis, qui contra ipsius sententiam Rothadium deposuerant, exprobrat „eos etsi Rothadio non appellante, tamen contra tot et tanta efferri decretalia statuta et eum inconsulta S. A. deponere non debuisse" (l. c. 901 cf. sermo Nicol. M. 892, ep. 35 ad eppos syn. Silvanect. M. 829), quid opus est, ut pro his „tot et tantis decretalibus statutis" necessario Pseudo-Isidoriana supponamus? Siquidem Nicolaus, ut vidimus, aliquot decretalia statuta, ex sua sententia satis gravia, ipse adduxit, alia fortasse, sicut pluries innuit (cf. ep. 75 cit., ep. 108 ad Hincm. Rhem. l. c. 1106), in archivis Romanae ecclesiae habuit et novit. Quare temere conjicitur, illis statutis non nisi Pseudo-Isidoriana significari.

Principes eos solummodo ab arbitrio suo pendere putabant et eo liberius in eos procedebant, quos nulla externa ope fulciri viderent. Ceteri autem regni episcopi, quippe et ipsi meri principum ministri, fere nil aliud nisi operam suam horum voluntatibus adjungere poterant. Unde judiciorum episcopalium justitia semper summe periclitabatur. Imprimis tale malum inter perennia illa Carolingorum factiones et certamina apparuit.[1]) Quare Nicolaus, quod ubi de episcopi discrimine ageretur, rem ad S. A. deposcebat, haud parum et justitiae publicae et ecclesiasticae libertati profuit. Quod et ipsi episcopi probe agnoscentes gratissimis animis excipiebant.[2])

E. De poenitentia ecclesiastica.

Permultis rescriptis Nicolaus ad consultationes varias de poenitentia respondere coactus est. In quibus etsi plerumque solum probatissimos canones poenitentiales aut ecclesiae Romanae ordinem secutus, tamen pro illo tempore certam quandam poenitentiae normam exhibuit haesitationesque de ea re removit. Quare etiam illa hic addere libet.

Primum Nicolaus veram indolem poenitentiae eo tuebatur, ut non firmam et immobilem ei normam praescribi, sed summum judicium potius sacerdoti reservari vellet, qui pro cujusque poenitentis qualitate optime de ea judicare posset. Ita in rescripto ad Carolum archiep. Moguntin., ubi de illa certas regulas statuit, tamen addit: „tempus autem hujus poenitentiae in Vestrae Beatitudinis arbitrio ponimus, ut secundum conversionem illorum aut extendere vel minuere valeatis" (ep. 26 M. 810). Similiter in decreto de a. 867 (l. c. 1132): „sane sacerdoti considerandum est, si semel peccavit aut quanto quis tempore in vitio perduravit, aut si casu aut si non sponte, et considerata qualitate sive quantitate peccati, provida mente lapso poenitentiam injungat."[3]) Quare etsi ex similitudine

---

[1]) cf. Gfrörer Gesch. der ost- u. westfränk. Karolinger I. S. 83 ff.

[2]) cf. ep. syn. Tricass. a. 867 ad Nic. P. (Hard. V, 685.)

[3]) Similiter ep. 66 ad Rodulph. Bituric. c. 4 M. 884, ep. 119 ad Hincm. Rhem. l. c. 1123, ep. 133 ad Rodulp. Argentin. l. c. 1129, ep. 136 ad Rivolard. l. c. 1131.

veterum canonum certum pro peccatis singulis tempus statuit, tamen multum abfuit, ut eo poenitentiae quasi quoddam jus cambiale dare vellet. Sed ubi illud fecit, aut pro certa aliqua persona sibi oblata sententiam tulit,[1]) aut consulentibus secundum veteres canones aliquam normam exhibuit. Eo modo pro incestu secundum graduum consanguinitatis vel affinitatis diversitatem 16 aut 12 aut 10 aut 8 aut 7 aut 5, pro fornicatione 5 aut 4 annos constituit; si autem tale quid clericus commisisset, pro quinis annis poenitentiae laicalis subdiaconus 7, diaconus et monachus 10, presbyter 14, episcopus 18 annos poeniteret.[2]) Deinde pro patricidio vel fratricidio vel filii sacerdotisve caede 12 annos strictae poenitentiae, pro reliquo vitae tempore certos afflictionis actus,[3]) pro homicidio minus voluntario 10,[4]) pro raptu sacrilego 7 annos[5]) constituit.

De modo poenitentiae ipso primum id voluit, ut propter publicum crimen illa semper publica esset, et absolutio non nisi satisfactione ordinabiliter praecedente ordinate fieret.[6]) Deinde ex similitudine veteris disciplinae poenitentium quasi tres stationes distinxit singulisque earum certa officia attribuit. Primum enim poenitentes „inter missarum sollemnia vel alia sacra officia ante fores ecclesiae starent, orantes et deprecantes Dominum"[7]) vel etiam „per certum tempus extra ecclesiam et postea demum ante fores ecclesiae"[8]) (assimil. stationi flentium). Deinde in ecclesiam ingrederentur quidem, sed

---

[1]) ex. gr. ep. 119 cit. pro occisore presbyteri, ep. 122 pro invasoribus ecclesiarum, ep. 129 cit. pro matricida, ep. 136 cit. pro occisore filiorum suorum.

[2]) decreta Nicol. M. 1132 sq. Nec tamen scio an hic totus locus spurius sit; certe admodum mendosus est.

[3]) ep. 136 ad Rivolard, ep. 119 ad Hincm. Rhem, ep. 27 ad Carol. Mogunt. archiep. M. 812.

[4]) ep. 27. cit.

[5]) ep. 122 ad Frotar. Burdigal. l. c. 1124.

[6]) ep. 118 ad Adon. Vienn. de sent. et intdict. S. A. n. 6 et 7 (M. 1122).

[7]) ep. 26 ad Carol. Mog., ep. 27 ad eund., ep. 133 ad Rod. Argent., decret. Nic. M. 1132.

[8]) ep. 122 ad Frotar. Burdig. M. 1124.

starent[1]) inter audientes, a communione corporis et sanguinis Christi et oblatione extorres[2]) (assimil. stationi audientium et genuflectentium). His peractis „ne desperantiae caligine indurarentur,“ denique ad corporis et sanguinis Christi communionem (ad oblationem autem nonnunquam demum post aliquod tempus[3]) admitterentur, sed interea poenitentiam praescriptam strenue prosequerentur[4]) (assimil. stationi consistentium).

Denique pro poenitentia imposuit, ut poenitentes exc. diebus festis et dominicis quotidie,[5]) in tertio gradu positi saltem ter per hebdomadem,[6]) usque ad vesperam[7]) aut certe horam nonam jejunarent,[8]) solo pane et aqua utentes.[9]) Vinum et carnes iis interdum per totam vitam interdixit.[10]) Praeterea ne vehiculo equove veherentur neve arma gererent, nisi contra paganos,[11]) in conjugio autem positi ut aut omnino[12]) aut saltem per certum tempus[13]) conjugis consortio abstinerent voluit. Clericos vero ejusmodi crimina incurrentes de statu suo dejici et poenitentiae submitti, deinde secundum veteres

---

[1]) tantummodo ubi peculiaris facultas indulta, sedere iis liceret ex. gr. ep. 27 cit.

[2]) ep. 26, 27, 119, 122, 133, 136 cit., decret. Nic. cit.

[3]) ex. gr. ep. 119, 133 cit.

[4]) ep. 26, 27, 122, 133 cit.

[5]) ep. 26, 27, 133 cit.

[6]) ep. 27, 122 cit.

[7]) ex. gr. ep. 27, 119 cit.

[8]) ex. gr. ep. 27 cit.

[9]) in decret. Nicol. cit. Ceterum pro jejunii afflictione varios modos a cibo potuque abstinendi praescripsit ex. gr. ep. 26, 27, 122 et decret. Nic. cit.

[10]) ep. 27 et 136 cit.

[11]) ep. 26, 27, 119, 133, 136 cit.

[12]) ep. 66 ad Rodulph. Bituric. n. 6. M. 885, ep. 82 ad Arduic. Vesontion. c. 1 et 2. l. c. 919, ep. 131 ad Salom. Constantiens. l. c. 1128.

[13]) in decret. Nicol. l. c. 1132 sq. Ceterum persaepe poenitentibus speciali indulto concessit, ut, si se continere non possent, et conjugio uterentur et nova conjugia inirent. Ita Germanis in ep. 26 et 27, adolescentulis in ep. 66 n. 6 et ep. 131, sodomiticis in ep. 82 c. 3, poenitentibus, qui ad S. A. confugerant, in ep. 133 et 136.

canones ad communionem quidem sed non ad clericatus officia recipi jussit. [1])

Haec fere sunt, quae de poenitentia in Nicolai decretis occurrunt. In quibus etsi ille fere non nisi veteres constitutiones repetiit, tamen, quum harum innumerae eaeque valde diversae essent, inter eas certam normam poenitentiae publicae praebuit, quam coaevi et posteri probe exsecuti sunt (cf. syn. Wormat. a. 869 c. 25 ss. Hard. V, 741 sq.)

In ceteris juris ecclesiastici partibus etsi Nicolaus non minus strenue laboravit, tamen tantum veteres canones vindicavit. Quare eas hic recensere incongruum est. Summi vero momenti videntur, quae ille, canonicam primatus Romani notionem exsecutus, de potestate Pontificia statuit quibusque quasi Gregorio VII jam facem praetulit. Quae tamen et ipsa hoc loco, ne justus terminus excedatur, praetermittenda sunt.

[1]) ep. 134 ad Guifred. Morin., 138 et 139 ad Osbald. Quadrant., decret. Nicol. cit., ep. 143 ad Thadon. Mediolan.

Appendix I (ad pag. 4).

Multi, ut supra (cf. pag. 4) memoratum, viri docti principium, decretales Romanorum Pontificum per se universali ecclesiae obligatorias esse, demum a Nicolao inductum volunt. Ad quod comprobandum praeprimis id afferunt, episcopos coaevos ipsos ejusmodi illius assertioni fortiter contradixisse. Verum totum hoc argumentum cadit, si rem districtius consideraverimus.

Nicolaus enim, quum Rothadium simpliciter restitueret, inter alias rationes etiam eam protulit, „sacra statuta et veneranda decreta episcoporum causas utpote majora negotia S. A. diffiniendas censurae mandare" (cf. supra pag. 21). Episcopi, quibus talia decreta fortasse ignota, responderunt, „ea in toto suo codicis corpore non contineri descripta" (ep. 75 ad univ. eppos Gall.). Quibus verbis aut significabant, se eas tantum decretales obligatorias ducere, quae in communi canonum collectione essent, aut, id quod mihi verisimilius videtur, se dubitare, num tales, quas ille appellasset, decretales omnino exsisterent. Nicolaus in responso suo (ep. 75 cit.) utrumque respicit. Ut hoc refelleret, exhibet canones et decreta, quibus in illa causa nitebatur (cf. supra pag. 25). Ut autem illud prorsus insulsum esse detegeret, „tunc, ait, ne magni Papae Gregorii immo ne scripturae sacrae quidem decreta valerent, quippe quae illi codici non inessent. Sed ne ita quidem eos sane dixisse pergit; nam decreta, quae affert, Leonis [1]) et Gelasii [2]) diserte astruere, omnes S. A. decretales valere." —

---

[1]) Leo ep. ad eppos Camp. c. 5. „ne quid vero sit, quod praetermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia constituta tam beatae recordationis Innocentii quam omnium decessorum nostrorum, quae de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita vestrae dilectioni custodiri mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari."

[2]) Gelas. in syn. Rom. de script. can.: „decretales epistolas, quas beatissimi Papae diversis temporibus de urbe Roma pro diversorum patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas decernimus."

Ac revera erat insulsa episcoporum illa assertio nec nisi ex litis fervore profecta. Nam unde quaeso codex ille privatim compositus tantam autoritatem adeptus, ut quasi sacrosanctus omni tempore canon totius juris ecclesiastici esset? Certe equidem prorsus nescio, ullum unquam illius temporis concilium ejusmodi canonum collectionem pro unica et perpetua legis ecclesiasticae norma proclamasse. Immo talis collectio privatim facta valebat tantum, quatenus authentica decreta aut conciliorum aut Pontificum complectebatur. Decreta haec autem semper per se valebant, sive illi collectioni adjuncta erant sive minus Quod quidem de decretis synodalibus nemo dubitaverit. De decretis Pontificiis autem idem valere, si cui testimonia Leonis et Gelasii[1]) a Nicolao laudata non sufficiunt, addat testes Siricium,[2]) Zosimum,[3]) Hilarium,[4]) diserte profitentes, omnes Romanorum Pontificium decretales universae ecclesiae sequendas esse. Notum praeterea est, jam a. 444 idem a Valentiniano III publici juris factum esse: „ne quid praeter autoritatem Sedis Aplicae illicita praesumptio attentare nitatur; tunc enim

---

[1]) Praeter loc. cit. Gelasius in ep. ad eppos Lucan. c. 9. „quum nobis contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temere nil licere, et quum Sedes Apostolica super his omnibus favente Domino, quae paternis canonibus sunt praefixa, pio devotoque studeat tenere proposito, satis indignum est, quemquam vel pontificium vel ordinum subsequentium hanc observantiam refutare, quam b. Petri sedem et sequi videat et docere, satisque conveniens sit, ut totum corpus ecclesiae in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus ecclesiae totius posuit principatum (Hard. II, 900).

[2]) Siric. ep. I. ad Himer. Tarracon. c. 15 (Hard. I, 851) „quamquam statuta S. A. vel canonum venerabilia definita nulli sacerdotum Domini ignorare sit liberum, utilius tamen, si ea, quae ad te speciali nomine generaliter scripta sunt, per sollicitudinem tuam in universorum fratrum nostrorum notitiam perferantur, quatenus et, quae a nobis salubriter constituta, intemerata permaneant, et omnibus in posterum excusationibus aditus obstruatur.

[3]) Zosimus ep. ad Hesych. Salonit. c. 4 (Hard. I, 1234): „sciet quisquis hoc postposita patrum et Sedis Aplicae autoritate neglexerit, a nobis districtius judicandum.“ Iisdem fere verbis a. 832 Gregorius IV utitur. (cf. c. 5. D. 19).

[4]) Hilarius in syn. Rom. a. 465 c. 1 (Hard. II, 799): „nulli fas sit, sine status sui periculo vel divinas constitutiones vel Aplicae Sedis decreta temerare.“

demum ecclesiarum pax ubique servabitur, si rectorem suum agnoscat universitas... Hac perenni sanctione decernimus, ne quid tam episcopis Gallicanis quam aliarum provinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis Papae Urbis aeternae autoritate tentare. Sed hoc illis omnibus pro lege sit, quidquid sanxit vel sanxerit Aplicae Sedis autoritas..“ (Nov. constit. imp. Theod. II etc. ed. Haenel tit. XVI). Idem Carolingi suis civitatibus sanxerunt. Carolus Magnus in Capit. a. 789 c. 58 (ed. Pertz III, 62) decretum supra laudatum Leonis P. I pro lege publica adsciscens praecepit, „ut si quis sacerdotum contra constituta decretalia praesumptiose ageret et corrigi nolens, ab officio suo submoveretur.“ Item Lotharius imperator in Capit. a. 824 c. 9 (l. c. 240): „novissime admoneatur, ut omnis homo, sicut Dei gratiam et nostram habere desiderat, ita praestet in omnibus obedientiam atque reverentiam huic pontifici.“ — Nec non episcopi ipsi, qui Nicolao in hac re obloqui videbantur, alias eam libenter agnoscebant. Nam, ut ille iis replicat, quotidie ipsi in negotiis suis, quaecunque Romanorum Pontificum decretalia invenire poterant, adhibebant, nulla ratione habita, num codici canonum inessent an non inessent. — Denique unde tandem decreta collectionis Pseudo-Isidorianae mox universalem autoritatem adepta sunt, nisi quia talis autoritas universaliter Sedi Aplicae attribuebatur? Nam quatenus a canonicis institutionibus veteribus discreparent, episcopi ejus temporis probe sciebant (cf. Hincm. capit. LV contra Hincm. Laud. impr. c. 20—25). Ac vero Pontifices Romani tantum aberant, ut illorum autoritatem insistendo vindicarent, ut demum, quum jam totus orbis iis usus esset, ipsi quoque uterentur (cf. Blondell. Pseudo-Isidorus etc. Proleg. c. 18). Quibus omnibus prolatis satis patet, principium illud, decretales Romanorum Pontificum per se universalem obligare ecclesiam, minime a Nicolao inductum esse, sed ex notione primatus Romani jam antiquitus profectum usque tenuisse. —

Appendix II.

Collatio editionis epistolarum Nicolai Mignianae, Mansianae et Hardouinianae.

ed. Mign. t. CXIX.		ed. Mans. t. XV.		ed. Hard. t. V.	
ep.	colum.	ep.	col.	ep.	col.
1	769	Ap. I, 23	397	Ap. I, 23	349
2	770	—	—	—	—
3	771	—	—	—	—
4	773	2	162	2	121
5	780	3	168	3	126
6	780	54	326	54	279
7	781	Ap. I, 1	366	Ap. I, 1	319
8	781	—	70	—	—
9	782	—	399	—	—
10	782	—	—	—	—
11	783	4	168	4	127
12	785	6	174	6	132
13	790	5	170	5	129
14	794	—	649	—	—
15	796	Ap. I	469	—	—
16	796	59	343	59	295
17	798	17	278	17	233
18	799	18	278	18	233
19	799	19	279	19	234
20	800	22	281	22	236
21	801	23	282	23	237
22	803	20	279	20	235
23	804	21	281	21	236
24	805	66	352	66	304
25	806	Ap. I, 22	394	Ap. I, 22	346
26	809	—	141	—	—
27	811	—	—	—	—
28	813	—	—	—	—

ed. Mign.		ed. Mans.		ed. Hard.	
ep.	col.	ep.	col.	ep.	col.
29	815	24	284	24	239
30	819	—	—	—	—
31	820	—	—	—	—
32	821	Ap. I, 5	374	Ap. I, 5	326
33	823	28	294	28	247
34	825	29	295	29	249
35	826	32	300	32	254
36	833	30	296	30	250
37	837	31	300	31	253
38	838	33	306	33	259
39	839	69	354	69	306
40	840	68	353	68	306
41	841	63	349	63	302
42	842	64	350	64	303
43	843	65	351	65	304
44	844	—	675	—	—
45	846	62	346	62	298
46	850	7	178	7	136
47	860	34	307	34	260
48	861	35	308	35	261
49	862	36	309	36	262
50	863	60	344	60	297
51	864	61	345	61	298
52	865	Ap. I, 6	376	Ap. I, 6	328
53	866	Ap. I, 7	376	Ap. I, 7	329
54	867	Ap. I, 8	377	Ap. I, 8	330
55	867	—	661	—	—
56	868	Ap. I, 3	368	Ap. I, 3	573
57	869	—	—	—	—
58	869	—	—	—	—
59	869	Ap. II, 1	449	Ap. II, 1	385
60	871	37	310	37	263
61	872	Ap. III, 1	454	—	—
62	876	—	137	—	—
63	879	—	—	—	—
64	880	67	353	67	305
65	881	Ap. I, 13	382	Ap. I, 13	334
66	883	Ap. I, 19	389	Ap. I, 19	342

ed. Mign.		ed. Mans.		ed. Hard.	
ep.	col.	ep.	col.	ep.	col.
67	885	45	311	45	264
68	887	Ap. I, 4	372	Ap. I, 4	325
69	889	Ap. II, 2	450	Ap. II, 2	386
70	890	—	—	—	—
71	890	38	685	38	583
72	892	39	687	39	584
73	893	40	688	40	585
74	897	41	691	41	588
75	899	42	693	42	590
76	908	43	700	43	597
77	909	44	701	44	598
78	911	25	287	25	241
79	913	26	288	26	242
80	915	Ap. I, 10	379	Ap. I. 10	331
81	917	Ap. II, 3	450	Ap. II, 3	387
82	918	Ap. III, 4	459	—	—
83	921	27	290	27	244
84	925	—	400	—	352
85	925	Ap. 2	470	—	—
86	926	8	186	8	144
87	962	—	—	—	—
88	964	—	458	—	—
89	964	46	705	46	601
90	967	Ap. I, 12	710	Ap. I, 12	606
91	969	Ap. 4	472	—	—
92	970	Ap. 3	471	—	—
93	971	Ap. I, 11	380	Ap. I, 11	333
94	973	Ap. I, 20	391	Ap. I, 20	344
95	975	Ap. I, 21	392	Ap. I, 21	345
96	977	47	709	47	605
97	978	—	401	—	353
98	1016	9	216	9	173
99	1045	11	259	11	214
100	1053	12	265	12	221
101	1058	13	269	13	224
102	1061	14	272	14	227
103	1063	15	273	15	228
104	1067	10	240	10	196

ed. Mign.		ed. Mans.		ed. Hard.	
ep.	col.	ep.	col.	ep.	col.
105	1089	16	276	16	232
106	1091	1	159	1	119
107	1093	—	738	—	633
108	1101	—	745	—	640
109	1111	52	753	52	648
110	1112	Ap.I, 14	754	Ap.I, 14	649
111	1114	Ap.I, 15	386	Ap.I, 15	338
112	1115	Ap.I, 16	387	Ap.I, 16	340
113	1116	—	—	—	—
114	1118	Ap.III, 2	457	—	—
115	1119	—	401	—	—
116	1119	—	—	—	—
117	1120	—	—	—	—
118	1121	—	450	—	—
119	1122	Ap.I, 24	398	Ap.I, 24	350
120	1123	—	—	—	—
121	1123	—	400	—	—
122	1124	—	400	—	—
123	1124	—	—	—	—
124	1125	—	—	—	—
125	1125	—	459	—	—
126	1126	—	—	—	—
127	1126	—	—	—	—
128	1127	—	—	—	—
129	1127	—	—	—	—
130	1128	—	—	—	—
131	1128	—	—	—	—
132	1128	—	—	—	—
133	1129	—	458	—	—
134	1129	—	458	—	—
135	1130	—	—	—	—
136	1130	Ap.I, 17	388	Ap.I, 17	341
137	1131	—	—	—	—
138	1131	—	—	—	—
139	1131	—	—	—	—
140	1132	—	473	—	—
141	1134	—	—	—	—
142	1134	—	—	—	—

ed. Mign.		ed. Mans.		ed. Hard.	
ep.	col.	ep.	col.	ep.	col.
143	1134	—	—	—	—
144	1134	—	—	—	—
145	1135	Ap. I, 18	389	Ap. I, 18	341
146	1136	48	312	48	266
147	1139	49	315	49	268
148	1142	50	318	50	271
149	1146	51	321	51	274
150	1150	53	324	53	278
151	1151	Ap. II, 4	452	Ap. II, 4	389
152	1152	70	355	70	307
153	1161	57	332	57	285
154	1161	56	331	56	284
155	1163	58	333	58	286
156	1174	55	327	55	281
157	1179	Ap. I, 2	367	Ap. I, 2	319
158	1180	Ap. I, 9	378	Ap. I, 9	330
159	1182	—	458	—	—